Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 917
Quelle:
Copyright:

dam Capita aliquatenus cum iis conveniunt, quaedam prorsus abeunt, quin in alia *Eccl*ᵃ loca commentantur. Redit igitur dubium, an *Paterius*, *Alulfus*, *Bruno*, aliusve dicendus sit Excerptor. *Maurianorum* silentium indicio est, nullum iis Codicem nostro similem in manus venisse. Abstineo pluribus; non enim de Opere ἀνεκδοτῳ, sed de *Gregorii* sententiis sermo est, quae alioquin in ejus Operibus vulgatae sunt. Do tamen C. I. initium: *Omnes, qui ea, quę mundi sunt, mente calcant* &c.

Scheda Codici inserta ejus quidem Scriptorem facit *Luitholdum* monachum *Lunaelacensem* nobis pluries memoratum, sed, quae leguntur *fol.* 193. p. 2. eum potius e Canonia *S. Zenonis* in *Tyroli Lunaelacum* deportatum fuisse probant: *Nota, quod hij 4ᵉʳ pape omnes Donaciones et bona predia et redditus libertates priuilegia Ecclesie sancti Zenonis, liberam electionem pro preposito, vno ex eorum congregatione fratre professo, prout et omnes sollempnitates confirmarunt suis patentibus bullis, Lucius, Eugenius, Alexander, Adrianus.*

CCCCII.

U. 272 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. f. min. nitidissime per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, κτημα quondam *Job. Alexandri Brassicani* nostri, ut in Theca literae I. A. B. et per decursum plura manus ejus vestigia declarant, et ab eo ad *Job. Fabrum* Ep. ut Nota impressa Thecae adfixa loquitur, delatus ita minio insignitur: *Incipit prefacio ysidori in explanatione. hystorie. diuine. legis.* Puta *Commentaria in V. T.* allegorica, prout extant edit. *Breulianae Paris.* 1601. p. 413. f. Praefationis initium est: *Historia sacrę legis non sine aliqua* &c. et lectio imperfectior editis, nisi malis: *canorum aliquid resonant* pro *sonorum*, item: *non nostra legat — relegat* pro *legit — relegit*, item: *nostri temporis insigniter eloquenti* pro *nostris insigniter temporibus.* Sub finem *Augustino* et *Fulgentio* manus *Brassicani* interseruit *Eucherium*, nec abs re, nec certe nisi alterius Codicis fide. Deinceps Libris singulis praefixus est *Capitum* Elenchus, ut in Editis. *Genesis* incipit: *Creatura celi et terre quomodo hystorialiter* &c. nec deest in textu, unde perficiantur Edita. Ita v. g. C. I. *fecit Deus coelum*, addendum e Codice *et terram.* C. II. *quod in lucis nomine*, interponendum, *quod in Ecclesia lucis nomine.* Item: *ut ibi suspicientes* interponendum *spirituales*, et mox legendum, *quasi inter aquas* pro *qualiter inter aquas* &c. Tractatio integra in *Machabaeis* terminatur: *suntque uniuersa mysteriis consummata. Per dominum nostrum* &c.

Fol. 85. sequitur *Elegia* XLVIII. Distichorum, quorum tamen *duo* Versiculi exciderunt. Ea decursa legas: *Explicit liber ysidori in explanatione hystorię legis diuine.* Credas igitur illam ad hoc Opus pertinere, et esse quoddam